

precibus, ut velit me, qui sub oculis TVIS, quin
potius in sinu TVO, adoleui, neque ultra triennium
illud, quod studiorum liberalium causa Goettingae
consumsi, e domo paterna abfui, iamque Patrum
ciuitatis suffragiis in Syndici munere TIBI succes-
sor designatus sum, hac, quam summam reputo, fe-
licitate beare, ut senectutem TVAM, quam Sum-
mum, quod omnia regit, Numen sat vegetem TIBI
concessit, iucundam ac suauem efficere possim. Quod
quidem existimo, nec melius posse, nec certius a me
obtineri, quam si laudatissimum, quod TV mihi
praebuisti, et praebes quotidie, dilectissime PATER,
bene de patria merendi exemplum, ipso TVO con-
silio adiutus, quantum in me est, summo studio imi-
tari et assequi contendam. Deus vero optimus
non solum qualibuscunque meis conatibus clemen-
tissime annuat, sed et TIBI omne felicitatis huma-
nae genus ad nestoream usque aetatem in rei pub-
licae commodum meique solatium concedat in-
dulgentissime. Vale Optime PATER, meque pa-
terno TVO, quo hucusque sustentuisti, id est summo,
fauore in posterum quoque, quousque viuam,
amplecti perge. Ego vero ad extremum usque
balitum non desinam, summa TE obseruantia,
summo amore, summo studio prosequi

TIBI

deditissimus & obsequentissimus filius
IO. EHRENER. IAC. DAHLMANN.